



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm Novembris Et Decembris

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10263**

De hoc codem Martyre alia quèdam ex Passione Trigeminorum martyrum  
&c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77423)

DE S. BENIGNO PRESBYT. ET MARTYRE. II  
 DE HOC EODEM MARTYRE HABENTVR  
 QVEDAM IN PASSIONE TERGEMINORVM MAR-  
 tyrum, que est Tomo 1. die 17. Ianuarij. Extant etiam nonnulla  
 apud S. Gregorium Turonensem, in laudem Martyrum,  
 Cap. 51. que hic subijcere visum est.



**B**ENIGNVS autē Dominici nominis testis, apud Diuionense ca-  
 strum martyrio consummatus est. Et quia in magno sarcophago  
 post martyrium conditus fuit, putabāt nostri temporis homines,  
 & præsertim beatus Gregorius Episcopus, ibi aliquem positum  
 fuisse gentilem. Nam rustici vota inibi dissoluebant, & quæ pete-  
 bant, velociter impetrabant. Ad hoc ergo beati sepulcrū quidam,  
 dum exindē multa beneficia perciperet, cereum detulit: quo ac-  
 ceno, domum redijt. Puerulus enim paruulus hæc obseruās, illo abeunte, descendit  
 ad tumulum, vt ardentem cereū extingueret & auferret. Quo descendente, ecce ser-  
 pens miræ magnitudinis de alia parte veniens, cereum circuncingit. Puer autem ti-  
 mens, sursum redijt: & bis aut tertio cereum auferre tentans, obliuente angue non  
 potuit. Talia & his similia beato pontifici nunciata, nullo modo credebatur, sed magis,  
 ne ibidem adorarent, fortiter testabatur. Tandem aliquādo Dei martyr beato se con-  
 fessori reuelat, & dicit: Quid agis, quod non solum tu despicias, verum etiā honoran-  
 tes me spernis? Ne facias, quæso, sed tegmen super me velocius præpara.

Item mira-  
 cula ad se-  
 pulcrū eius,

Sancti ho-  
 norandi &  
 inuocandi.

De qua ille visione concussus, beati sepulcrum adit, ibiq; diutissimē pro ignoran-  
 tia cum fletu veniam deprecatur. Et quia crypta illa, quæ ab antiquis inibi transuoluta  
 fuerat, diruta erat, rursū eam beatus pontifex reedificauit, eleganti transuolucens  
 opere: sed sanctum sepulcrum, nescio qua causa faciente, foris euenit. Quod ille intus  
 transferre cupiens, conuocauit ad hoc obsequium Abbates atque alios religiosos  
 viros. in quo conuentu grande miraculum beatus martyr & populis, & suo præstitit  
 confessori. Erat quippè validum, vt supra diximus, illud sarcophagum, vt tale in isto  
 tempore nec tria paria boum trahere possint. Cumque diutissimē morarentur, nec  
 inuenirent qualiter ipsum intus inferrent, sanctus Gregorius illuminatis cereis, cum  
 grandi pfallentio apprehensum à capite martyris sarcophagum, & duo presbyteri ad  
 pedes mouentes, illud in cryptam habilissimē detulerunt, & vbi ipsis fuit placitum,  
 composuerunt: quod non minimum populis spectaculum fuit. Post paucos autem  
 annos ab euntibus in Italiam, passionis eius historiam allatam beatus confessor accepit.  
 Sed & deinceps sanctus martyr multis se virtutibus manifestauit in populis. Nec  
 moratus, super cryptam illam basilicam magnam iussit ædificari.

Sarcophagū  
 neutro ge-  
 nere.

Nota de ce-  
 reis arden-  
 tibus,

In proximo autem est & alia basilica, in qua Paschalia quædam religiosa veneratur.  
 Nam visum est eo tempore structoribus, quandam anam egressam fuisse ab ipsa basi-  
 lica, nigra veste, cygneo capite, vultuque decoro, quæ sic affata est structores: Eia di-  
 lectissimi, perficite opus bonum: eleuentur machinæ, quibus erigitur hæc structura,  
 & merito acceleratur, quæ talē habet executorem. Nam si permitteretur, vt vestro-  
 rum oculorum acies contempleretur, nempe videretis vobis operantibus sanctum  
 præire Benignum. Hæc effata, basilicam, de qua egressa fuerat, ingrediens, nulli vltra  
 comparuit. Autumabāt enim eius temporis homines, beatam ibi apparuisse Pascha-  
 siam. Super lapidem verò illum, in quo cum plumbo remisso pedes eius confixi fue-  
 runt, factis loculis vinum aut siceram multi infundunt: vnde si aut oculi lippitudine  
 grauari, aut quælibet vulnera fuerint peruncta, protinus fugata infirmitate sanantur.  
 Quod ego euidenter expertus sum. Nam cum mihi nimia lippitudine oculi graua-  
 rentur, ex hoc sacro vnguine tactus, dolore protinus carui.

S. Paschalia  
 apparuit qui-  
 buldam.

Nota lector  
 virtutem a-  
 cri loci &  
 victionis,

Cum autem ad Aruennam regionē lues illa inguinaria adueniret, quæ sancti Galli  
 Episcopi oratione depulsa est, & in subita contemplatione parietes domorum atque  
 ecclesiarum signarentur atq; caraxarentur, matri meæ apparuit in visu noctis, quasi  
 vini, quod in apothecis nostris habebatur, sanguis esset effectus. Cui lamentanti ac  
 dicenti: Væ mihi, quia & signata est plagæ domus mea: ait ei vir quidā: Nōsti, inquit,  
 quod postridē, quod erit in Calendis Nouembris, passio Benigni martyris celebrabi-  
 tur? Noui, ait. Vade, inquit, & vigila totam noctem in honore ꝑ, ac reuoca Missas, &  
 liberaberis à plaga. Expergefata autem à somno, impleuit quæ sibi fuerant imperata:  
 signatisque vicinorum domibus, domus nostra inuoluta permanfit.

Teius, deesse  
 videtur.

MAR-